

iterandum, vel cruentum vel incruentum. Nam sic inquit Cap.V.: „Consummatus omnibus obtemperantibus sibi autor salutis aeternae factus est.“²⁶² Cap.VII.: „Hoc fecit semel se ipsum offerendo.“²⁶³ Cap.IX. „Christus per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, aeternam redemptionem inueniens.“²⁶⁴ Item: „Neque ut saepe offerat semet ipsum“²⁶⁵ etc. „Nunc semel in consummatione seculo-[138:]rum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit.“²⁶⁶ Item: „semel oblatus est ad abolenda multorum peccata.“²⁶⁷ Cap.X. „In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.“²⁶⁸ Item: „Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei“²⁶⁹ etc. „Vna enim oblatione consummavit in aeternum sanctificatos.“²⁷⁰ Item: „Vbi horum est remissio, non est amplius oblatio pro peccato.“²⁷¹ Hos et similes multos arietes opponit Spiritus Sanctus in Epistola ad Hebraeos omnibus, qui nouum ac incruentum sacrificium pro peccatis essent excogitaturi. Fundamentum habet Christi verbum in cruce, cum inquit moriturus: „Consummatum est.“²⁷² Quid enim clarius dici potest contra priuatam missam seu sacrificium Papisticum, quod incruentum vocant, quam quod dicit nos voluntate Dei sanctificatos esse per oblationem corporis Iesu Christi semel; item, Christum una oblatione in perpetuum consummasse sanctificatos, et acquisita semel remissione peccatorum nullam amplius restare oblationem.

III. Tertio. Quanquam Missae nomen unde natum sit non certo constet, nisi quod vero simile est ab oblationibus, quae ferebantur, fuisse sumtum: tamen tolerari potest quod coena Christi Missa vocetur, non quod sacra hostia transmittatur, aut agnus, id est Christus ad patrem mittatur, ut canon asserit, multo minus quod significet sacrificium et [139:] oblationem priuatam et Papisticam pro viuis et defunctis, sed propter sacrificium laudis et gratiarum actionis, adeoque propter eleemosynas et ea, quae in subsidium ministrorum et pauperum offerri solent ante et post communionem in coena Christi.

IV. Quarto. Quod autem liber Interim facit communionem seu coenam Christi Missae priuatae tanquam appendicem quandam, id non minus ferendum est quam illorum opinio, qui Missam priuatam cum coena Christi confundunt, cum hoc sit sacramentum et testamentum Christi, illud vero Satanae commentum; hoc institutio Christi, illud falsa et erronea Christi sacrificatio:

²⁶² Hebr 5,9.

²⁶³ Hebr 7,27.

²⁶⁴ Hebr 9,12.

²⁶⁵ Hebr 9,25.

²⁶⁶ Vgl. Hebr 9,26.

²⁶⁷ Hebr 9,28.

²⁶⁸ Hebr 10,10.

²⁶⁹ Hebr 10,12.

²⁷⁰ Hebr 10,14.

²⁷¹ Hebr 10,18.

²⁷² Joh 19,30.